

*Enrico Ruffo dona al figlio  
Ruggero il feudo di Bonesia*

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali  
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Enrico Ruffo dona al figlio  
Ruggero il feudo di Bonesia*

1324-11-21

In nomine Domini amen. Anno Incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo quarto, mense novembris vigesimo primo die eiusdem, octave inditionis apud Seminariam Regnate Excellentissimo Domino nostro Roberto Dei gratia inclito Rege Hierusalem, et Sicilie Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedemontis Comite, Regnorum suorum anno sextodecimo feliciter amen.

Nos Iacobus de Notario Gregorio Iudex terre Seminarie, Gulielmus de Guttafurno publicus eiusdem Terre Notarius et testes subscripti ad hoc vocati specialiter et rogati. Presenti scripto publico notum facimus et testamur, quod magnificus Vir Dominus Enricus Ruffus de Calabria Sinopolis Dominus considerans satis grata, et accepta servitia que nobilis Vir Rogerius Ruffus de Sinopolo carissimus filius suus ab ipso patris seu potestate patria emancipatus ut constitit, contulit, et in antea conferre poterat incessanter, ac nolens ipsa servitia inremunerata transire, sed digno beneficio pro meritis respondere, non vi coactus, non dolo ductus nec metu oppressus, nec persuasionis errore subductus, sed sua gratuita, et spontanea voluntate, et libero arbitrio suo donavit, tradidit, et concessit dicto Rugerio, et suis heredibus in perpetuum, donationes facta irrevocabiliter inter vivos infrascriptum feudum quod dicitur Bonensium situm in Terra Iordana de Iustitiaratus Calabrie, videlicet in terris Cotrone, flumine Neti, casale Sancti Ioannis de Monago, casale Cutri, Sancti Severini, Tacine Castellis, et Rocabernardi, et eorum, et locorum, tenimentis, et pertinentis suis ac hominibus, feudatis, et infeudatis, domibus, casalinis, vineis, arboribus, censualibus, sedilibus, molendinis,

culturis, terris cultis, et incultis, aquis, aquarumque, nemoribus, silvis, pratis, pascuis, dignitatibus, et omnibus aliis Iuribus, iustitiis, pertinentiis, et rationibus ad predictum feudum spectantibus, sub servitio unius militis eidem Domino Enrico, et suis heredibus per eundem Rogerium, et heredes suos a presenti die in antea in perpetuum integre prestandi. Ob quam quidem donationem predictus Dominus Enricus donator prefatum Rogerium in corporalem possessionem ipsius fundi cum suis iuribus omnibus supradictis per fustim induxit ad predictum feudum cum sua tota causa perpetuo habendi, tenendi, uti fruendi, gaudendi, et perpetuo possidendi, cum pleno dominio, et libera potestate ipsumque etiam donandi, alienandi secundum Regni consuetudinem et de eo, et in eo cum suis iuribus omnibus et clausulis supradictis quidquid dicto Rogerio donatario, et suis heredibus placuerit tanquam de re propria faciendi proprietario iure, et titulo donationis, et sic omne ius, omneque actionem realem, et personalem, utilem, directam seu mistam, quod, vel quam idem Dominus Enricus donator habebat, vel habere sperabat in futurum in dicto feudo cum suo Iure supradicto, prefato Rogerio donatario, et suis heredibus cessit, et concessit et in eum cum pleno domino transtulit, nullo iure, dominica proprietate, seu potestate dicto Domino Enrico donatori, et suis heredibus in posterum reservato. Dans nihilominus, et concedens in premissis, et quolibet premissorum actionem, et exceptionem salvo tamen predicto feudali servitio unius militis dicto Domino Enrico donatori, et sui heredibus, per eundem Rogerium donatarium, et heredes suos in perpetuo, ut predicatur integraliter prestandi, ipsumque etiam feudum cum suis iuribus omnibus

dictus Dominus Enricus donator pro se, et heredes suos convenit, et promisit dicto Rogerio donatario sibi, et suis heredibus per stipulationem solemnem semper, et in perpetuum defendere, disbrigare, et guarentire ab omni persona publica, vel privata, extranea, seu coniuncta, ecclesiastica, seu seculari, que dictum Rogerium donatarium, et heredes suos vellet imposterum molestare de predicto feudo, et suis iuribus omnibus supradictis de iure, vel de facto, in iudicio, vel extra suis propriis sumptibus, et expensis, et quia etiam idem Dominus Enricus donator, contra eundem Rogerium donatarium, et heredes suos pro predicto feudo, et suis iuribus memoratis aliquo modo ingenio nullumquam in tempore prevenire presumat pro se, vel heredes suos, seu per aliquam submissam, seu interpositam personam. Convenit etiam et promisit dictus Dominus Enricus donator per stipulationem solemnem predictam donationem, et omnia, et singula subscripta, et infrascripta rata, et firma habere, tenere, attendere, et inviolabiliter observare, et in nullo contrafacere, vel venire, quod si contrafecerit in premissis, vel in aliquo premissorum, sponte se obligavit idem dominus Enricus donator, et heredes suos, ad poenam dupli dicti feudi cum suis iuribus supra dictis, et pene medietatem Regie Curie componende, et alteram medietatem dicto Rogerio donatario, vel suis heredibus exsolvendi me predicto notario publico medietatem predictae poene pro parte Curie et dicto Rogerio donatario per se, et heredes suos alteram medietatem sollemniter stipulante, qua poena soluta, vel non in parte, vel in toto, aut gratiose remissa, nihilominus predicta donatio, et omnia, et singula supra dicta semper in suo robore perseverent. Renuncians idem Dominus Enricus

donator iis omnibus vitio ingratitudinis, vel offense per quod donatio irrita facta in irritum revocatur, et omnibus aliis iuribus tam Canonicis, quam Civilibus scriptis, et non scriptis exceptioni doli, vel mali, privilegio fori, et omni legum auxilio, constitutioni, et usui consuetudinario tam regionis quam Regni, Constitutionibus promulgatis, et generaliter omni actioni quibus dictus Dominus Enricus donator aut heredes sui contradictam donationem venire possent, vel etiam se tueri. Statutum est autem inter eundem Dominum Enricum donatorem, et prefatum Rogerium donatarium coram nobis in limine dicti contractus, quod dictus Rogerius donatarium, vel sui heredes teneantur anno quolibet dare, tradere, et assignare in pace, et sine molestia sorori Iacobbe Ruffae de Sinopolo filie dicti Domini Enrici Venerabili Abatisse Monasterii Sancte Clare de Catanzario in vita sua tantum uncias tres, carolenorum argenteorum uncibus sexaginta pro uncia computatis. Consensierunt prius tam dictus Dominus Enricus, quam prefatus Rogerius in nos prefatos Iudicem, et Notarium tanquam in suos Iudicem, et Notarium, cum ex certa scientia scirent nos suos Notarium et Iudicem non esse in hac parte.

Unde ad futuram memoriam, et utriusque partis cautelam facta sunt exinde duo publica consimilia Instrumenta per manus mei predicti Notarii publici quorum presens sigillis magno, et parvo pendentibus, et subscriptione prefati Domini Enrici remanendum penes dictum Rogerium, et heredes suos pro cautela reliquam penes prefatum Dominum Enricum, et heredes suos, nostri qui supra Iudicis Notarii, et subscriptorum testium signis, et subscriptionibus roboratum. Scriptum anno, die, mense,

loco, et inditione premissis. † Ego Iacobus de notaro Gregorio qui supra Iudex Seminarie testor. † Nos Enricus Ruffus de Calabria Dominus Sinopolis predicta concessimus, et confirmamus. † Ego Nicolaus de Regio testor. † Ego Petrus de Gizzarano testor. † Ego Gregorius de Iudice Nicolao testor. † Ego Bartholomeus de Lazaro testor. † Ego Ioannes de Capua testor. † Ego Nicolaus de Canniano testor. † Ego Vitalis de Appio testor. † Ego Gulielmus de Boccafurno qui supra Notarius terre Seminarie predicta scripsi, et me subscripsi.